

permittat exire, sicut aliquando dæmones exeunt de inferno, tunc Angelus erit in loco distincto vel per operationem suam, si ibi permittatur aliquid agere, vel per alligationem passivam potentiæ ad illum locum distinctum ab igne, quæ tamen detentio, etiam quoad illum locum fiet instrumentaliter ab igne distante, et definente alibi, ut statim amplius discemus.

XXIV. Quod attinet ad animam separatam, nullo modo debemus recurrere ad illam fictam apprehensionem, quam ponit p. Alarcon, ita ut anima apprehendat in seipsa separata illam ustionem quem sentiret si esset conjuncta carni: hoc enim est recurrere ad illud inconueniens supra rejectum quod æque currit in Angelis, et animabus, quod per falsam, et illusam apprehensionem crucientur: hoc enim non minus in animabus quam in Angelis reprehendit D. Thomas loco citato ex quarto sententiarum, ubi inquit quod: « Non est probabile quod animæ separatæ vel dæmones qui subtilitate ingenii pollent, putarent ignem corporeum sibi nocere posse, si ab eo nullatenus gravarentur. » Et sic imaginatio istius auctoris nullo modo est probabilis secundum D. Thomam, neque salvat dictum S. Gregorii iv dialog. cap. xxix, ubi inquit quod: « Incendium non solum anima videndo, sed etiam experiendo patitur. » Ergo non solum ab apprehensione ustionis patitur, quod est pati videndo, seu apprehendendo, sed ab ipsa experientia doloris patitur anima. Non potest autem tunc experiri illam ustionem, et dolorem quem in carne sibi conjuncta anima haberet ab igne, cum sit separata a carne: ergo hanc non experiendo patitur. Et licet ex falsa imaginatione possit provenire vera tristitia, ut dicit Augustinus xii super Genesim ad litte-

ram cap. x et xxxii, tamen ut D. Thomas citatus notat, tunc non patitur aliquis ab ipsa re, sed a similitudine rei. Nos autem debemus verificare juxta Scripturam, et patres quod anima, et diabolus patitur ab igne.

XXV. Major difficultas est ex alia parte, quia multi sentiunt animam separatam non habere potentiam motivam, qua se moveat, vel alia corpora. In qua sententia non videtur posse assignari quid impediatur ignis in anima separata, ut illam affligat: nec enim impedit ipsum intelligere aut velle, quia anima eodem modo intelligit in illis pœnis quoad naturalia, sicut etiam intelligit Angelus: unde dives ille in inferno, Lucæ xvi cognoscebat Abraham, et loquebatur cum illo, et recordabatur fratrum, quos habebat in hac vita: ergo in intelligendo non impediatur; imo potius acumen sciendi conducit ad vivacitatem dolorem. Si ergo in potentia intellectiva non impeditur anima, et potentiam motivam non habet in sententia istorum auctorum, nulla restat alligatio potentiarum, quæ fiat in anima. Detentio autem in loco præcise parum pœnalis videtur esse animæ in hac sententia, cum quia secundum illam anima non movetur de loco ad locum per seipsam, sed solum portatur. Unde per hoc quod relinquatur in loco, et non portetur, manet ibi detenta; et sic non habet ignis quod faciat in anima ad detinendum illam in loco, sed sufficit quod non portetur ab aliquo Angelo: tum quia animæ in limbo detinentur quoad locum, et tamen nihil pœnæ sensus inde patiuntur. Quare hæc sententia, quæ negat potentiam motivam in anima separata, et consequenter omnem actionem transeuntem ad aliquid extra se rejicienda est, ut rejecimus in libris de anima quæst. xii, articulo ultimo. Certe D. Thomas, locis supra

citatis, et præsertim in quarto sententiarum, in specie loquens de anima separata, dicit torqueri ab igne: « Quatenus retardat eam ab executione propriæ voluntatis, ne scilicet possit operari ubi vult, et secundum quod vult. » Et sic dicendum est quod anima si habet aliquam actionem, qua possit se vel alia movere, in illa patitur impedimentum ab illo igne, et ex consequenti habet detentionem in loco pœnalem. Si vero anima nullius actionis est capax circa se, et circa alia, sed solum habet intelligere, et velle, in executione istarum actionum patietur impedimentum solum intelligendo id quod sibi disconueniens, et pœnale est, non aliquid quod delectare possit.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXVI. Primo arguitur: Qualitas quam dicimus producere ignem instrumentaliter non est qualitas corporea, sed spiritualis; sed hæc non potest esse repugnans, neque contristativa Angeli: ergo fictitia est talis qualitas. Major est certa, quia illa qualitas subjectatur permanenter, et in facto esse in subjecto spiritali: ergo non potest esse corporea. Minor probatur, quia illa qualitas hoc ipso quod spiritualis est, perficit subjectum, et multo magis si sit supernaturalis, et nihil expellit ab Angelo corrumpendo, et destruendo, quia, ut diximus, dona naturalia in Angelis sunt integra, utpote incorruptibilia, et indivisibilia: supernaturalia autem dona solum excluduntur per culpam voluntariam, non per qualitatem violentam: ergo illa qualitas nihil invenit in Angelo quod expellat, et cui contrarietur. Nec etiam contristat illa qualitas per hoc quod impedit aliquas operationes in Angelo, quia

non apparet quis sit effectus formalis, et primarius talis qualitatis impediens, et non destruentis: si enim virtus ipsa habet omnia requisita ad operandum, non est impedita; et solum potest cessare ab operatione per suspensionem concursus, quod non pertinet ad talem qualitatem, sed ad Deum qui subtrahit concursus. Si autem illa qualitas facit quod non habeat omnia requisita ad operandum: ergo in tantum impedit, in quantum aliquid tollit, nec videtur intelligibile quod aliquid impediatur agens, nihil tollendo ab illo ex requisitis ad agendum. Nec potest recurri ad aliquam contrarietatem quam faciat illa qualitas in intellectu imprimendo aliquam speciem intentionalem aut applicationem vehementem ad aliquod objectum contristans: quia totum hoc pertinet ad immutationem intentionalem, quæ in se pœnalis non est, neque afflictiva intellectus, sed potius perfectio illius, nisi ratione objecti quod per talem speciem, seu apprehensionem representatur: et tunc restat explicare, quid sit illud objectum contristans, quod sic apprehenditur, et quid contrarietatis, et repugnantiae ponat in Angelo.

XXVII. Confirmatur, quia si illa qualitas ponitur ad alligandum Angelum in loco, vel ad alligandum potentias ne se moveant, vel operentur circa alias res: ergo hoc ipso quod Angelus solvitur ab illo loco, aut permittitur moveri, vel operari circa alia, cessabit pœna, et cruciatus. Consequens est falsum: ergo non potest in illa alligatione constitui pœna Angeli illata ab igne. Sequela manifesta est, quia si tota ratio pœnæ, et cruciatus consistit in detentione, sive quoad locum, sive quoad operandum, si permittitur operari, vel mutare locum, cessat detentio: ergo et pœna. Minor au-

tem probatur, quia diabolus sæpe permittitur moveri, et exire ex loco inferni. Nam quod moveatur, et non sit semper alligatus, constat ex illo Job 1, ubi dicitur, quod : *Inter filios Dei affuit etiam Satan, cui dixit Dominus : Unde venis, qui respondens ait : Circuivi terram, et perambulavi eam, et de alio spiritu nequam dicitur III Regum XXII : Egressus spiritus stetit coram Domino, etc.* et infra : *Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus, et dixit Dominus : Decipies, et prævalebis, egredere, et ita;* et de ipso diabolo dicitur Apocalyps. XX quod : *Ligatus est ab Angelo per annos mille, et missus in abyssum, et post hæc oportet illum solvi modico tempore.* Ergo aliquando solvitur diabolus, et egreditur de inferno, et operatur, et movetur : ergo tunc non est detentus : et tamen non amittit aliquid de pœna, quia pœna illa ad quam est damnatus est æterna, et refrigerium non habet, ergo non potest illa pœna consistere in sola alligatione, et detentione, etiam facta per qualitatem.

XXVIII. Respondetur ad principale argumentum concedendo illam qualitatem contristantem non corpoream : hæc enim non potest magis nocere Angelo quam ipse calor ignis, vel quæcumque alia qualitas corporea. Quando autem dicitur quod spiritualis qualitas est perfectio, distingo; est perfectio in se, et absolute, transeat; comparative, et relate ad hoc subjectum, nego; sicut etiam frigus perfectio quædem est, sed non igni, quem potius corrumpit. Sic illa qualitas perfectio est in se, sed impeditiva connaturalis perfectionis Angeli; et sic illi non est perfectio. Nec sentio illam qualitatem esse supernaturalem quoad entitatem, quia sic pertineret ad ordinem gratiæ : gratia autem non destruit naturam, sed perficit, et

elevat : licet verum sit quod extrinsece sit supernaturalis quoad modum efficiendi, qui est a Deo operante super naturam, ut ignis agat in spiritum, et ad finem supernaturalem ordinatur ut vindicetur peccatum pœna æterna propter oppositionem cum gloria, et gratia, et contra ipsum Deum, etiam ut supernaturalis auctor est.

XXIX. Ad id autem in quo argumentum facit vim, quod illa qualitas nihil tollit aut corrumpit de virtute, et substantia Angeli, nec potest intelligi quod impediatur potentiam operativam, nisi aliquid tollat de requisitis ad agendum, quæ utique destructio seu corruptio sine alicujus rei influentia intelligi non potest, respondetur quod, ut supra diximus ex D. Thoma, ignis ille ponit aliquid contrarium in spiritu, non quod corrumpat, sed quod impediatur inclinationem, et operationem naturalem. Unde in additionibus quæstionis LXX, art. III ad IV, inquit quod : « Ignis ille agit in animam, non per modum influentis, sed per modum detinentis. » Ubi non est sensus quod ignis ille nihil efficiat in anima, cum dicat D. Thomas quod agit, sed quia id quod producit solum est ad detinendum, non ad alterandum, vel corrumpendum; ideo dicitur non esse per modum influentis, sed per modum detinentis. Datur ergo impedimentum per modum detentionis condistinctum ab impedimento per modum corruptionis, ut etiam supra exemplis monstravimus, et patet in eo qui detinet lapidem, ne descendat, nec tamen aliquid corrumpit de ejus substantia, vel qualitate quæ est gravitas. Cum ergo insistitur inquirendo quomodo illa qualitas tollat aliquid de requisitis ad operandum, vel non tollat, respondeo quod qualitas detentiva, et non corruptiva non tollit aliquid de requisitis ex parte virtu-

tis, sed ex parte applicationis, aut dispositionis, seu motionis, qua ipsa potentia se applicat ad operandum. Itaque etiamsi tota virtus sit in subjecto, potest tamen per aliquod extrinsecum impedimentum impediri ipse exitus actionis, et non tolli aliquid de virtute, quia cum ipsa virtus applicetur, vel habilitetur, aut moveatur ad operandum, potest aliqua qualitas impedire istam applicationem, seu motionem potentiam, aut quæcumque aliam dispositionem ejus ad operandum, non ablata, neque destructa ejus virtute, sicut per impulsum detinetur applicatio lapidis ad descendendum, non ejus gravitas corrumpitur aut læditur. Et ita hoc argumentum etiam solvendum est in illis qualitatibus corporeis, per quas videmus detineri, et impediri potentias, non destructa, neque ablata virtute, ut quando detinetur lapis ne descendat aut remora detinet navem ne procedat, et aliis similibus exemplis supra adductis. Quod in spiritualibus multo melius a Deo posse fieri, et nihil id implicare, nullus sanæ mentis dubitare potest. Quod autem dicitur de vehementi applicatione intellectus, vel immissione speciei intentionalis, jam diximus, non in hoc consistere cruciatum ab igne instrumentaliter illatum, sed in alligatione potentiarum, qua posita vehemens illa apprehensio consequitur circa ignem illum tamquam circa instrumentum illius cruciatum.

XXX. Ad confirmationem respondetur, quod, ut D. Thomas sæpe citatus in illa distinctione XLIV et in quæstione LXX additionum dicit, ille ignis non est pœnalis nisi in quantum retardat spiritum ab executione propriæ voluntatis, ne scilicet possit operari ubi vult, et secundum quod vult. Quare licet diabolus exeat ab illo loco materialiter sumpto, v.

g. a loco inferni, et permittatur moveri, aut operari circa aliquid, tamen quia non facit ibi quod vult, et secundum quod vult, sed secundum quod permittitur ex obligatione ad ignem; ideo non minuitur ei pœna, sed mutatur, aut si in aliquo minuitur, est in aliquo valde accidentali, et aliunde sic aggravatur, et recompensatur illa parva diminutio, quod in majorem solet cedere cruciatum, et miseriam. Itaque si aliqui dæmones sunt qui nunquam descenderunt ad infernum, sed manserunt in isto aere, et manent usque ad diem judicii, ut satis insinuat S. Thomas in articulo quarto hujus quæstionis LXIV, tales non minuunt pœnam ex eo quod actualiter non alligentur loco ignis in inferno, sed habent istum aerem pro carcere, ut dicit Augustinus I de Genesi ad litteram, et ibi citatur a D. Thoma. Affliguntur tamen ex igne inferni, licet actu in eo non sint, tamquam ex loco sibi debito. Quanquam non improbabiler dici potest quod ignis ille, etsi distans, virtute divina agit in spiritus in isto aere existentes, non alligando eos loco gehennali, sed eorum potentias hic impediendo ne operentur ubi volunt, sed juxta et quod permittuntur plus, vel minus, totum tamen operantur, non ex libito, sed ex permisso ignis, qui etiam eos alligat ne exeant ab isto aere, ut a loco carceris sui, et totus iste aer carcer eorum est, sicut concavitate terræ; ubi est infernus, est locus eorum qui ibi sunt. Si vero spiritus qui de facto detrusi sunt in infernum, et loco illi alligati, aliquando permittantur exire ad tempus ex divina dispensatione, mutant quidem pœnam, quasi materialiter, quatenus aliquid, et ad aliquem effectum, eorum impedimentum laxatur, sed incurrunt aliam vel æqualem vel majorem, quatenus solvuntur, et permittuntur.

tur operari aliquid, non juxta eorum voluntatem, sed ut crescat eorum dolor, et pœna ex hominibus quos exercent, quia vel vincunt illos, et secum trahunt ad damnationem; et sic crescit eorum pœna accidentaliter, vel vincuntur ab hominibus qui electi sunt; et sic crescit eorum confusio, quia vincitur. Itaque mutari potest accidentaliter pœna dæmonum, et in aliquid crescere accidentaliter, vel minui, usque ad diem judicii, ut expresse docet S. Thomas in iv, dist. xxii, q. i, art. i ad v et dist. l, quæst. ii, art. i, quæstiunc. vi. Et sic non est inconveniens quod egressione ab inferno in quo detinebatur diabolus, mutet pœnam, et aliquantulum diminuat in aliquo accidentali relaxando ei detentionem pœnalem, et aggravationem pœnarum quoad illum locum, non tamen necesse est hoc dicere, aut aliquod refrigerium illis tribuere, quia etsi mutant illam quoad istum vel illum locum, aut detentionem materialiter sumptam, sicut etiam transeunt a calore ad frigus, tamen ex alia parte augetur illa pœna, et recompensatur illa mutatio, quia licet moveantur, et operentur in aliquo loco, forsitan operantur quod minus vellent, et unde majorem confusionem aut pœnam postea reportabunt: et quoad alia quæ ipsi vellent facere, vel se movere, arctius aggravantur, et impediuntur.

XXXI. Secundo arguitur: Nam si pœna illa ignis explicetur solum per alligationem, et detentionem factam a qualitate impediente, sequitur quod non sit diversitas pœnarum in damnatis per hoc quod modo torqueantur a calore ignis, modo a frigore nivis, cum tamen ex hoc multiplicetur pœna damnatorum, quod a tam diversis creaturis, et tormentorum generibus crucientur. Consequens autem est fal-

sum: ergo, etc. Sequela probatur, quia tota vis illius cruciatus consistit in hoc, quod potentiæ Angeli accipiant virtute illius ignis qualitatem quamdam impeditivam suarum operationum, quod vero illam accipiant ab igne, vel ab aqua, omnino per accidens est, nec pœna augetur ex hoc quod instrumentum producat illam qualitatem sit aqua, vel ignis, si qualitas eadem est, sicut quod gratia producat media aqua in baptismo, vel chrismate in confirmatione, non auget gratiam si dispositio eadem sit. Minor vero probatur, quia in pœnis damnatorum datur varietas: transeunt enim ad calorem nimium ab aquis nivium, ut dicitur Job xxiv et in Psalm. x diversæ pœnæ narrantur: *Ignis, grandis, nix, glacies, spiritus procellarum, pars calicis eorum*. In istis autem diversis tormentis transitur de una pœna ad aliam, non eadem continuatur, alias diversa non esset, esse autem diversam docet S. Thomas in iv, dist. l, quæst. ii, art. iii, quæstiunc. ii, si autem solum detinendo affligeret, eadem pœna continuaretur, licet instrumenta variarentur.

Confirmatur primo, quia ignis non nocet Angelo, nec potest agere in ipsum, nisi media apprehensione, et tamquam objectum ejus ei representatum, et propositum: ergo non ut instrumentum divinæ virtutis. Patet consequentia, quia objectum non comparatur ad potentiam, ut instrumentum efficiens, sed ut motivum, vel terminatum specificans: ergo si nocet ut objectum, non ut instrumentum. Antecedens vero probatur, quia intellectus non movetur, neque inducit tristitiam nisi ratione alicujus apprehensi, quantumcumque enim in re sit aliquid malum, nisi apprehendatur, non contristat: ergo propria ratio nocendi, et affligendi est in quan-

tum ignis se habet ut objectum movens apprehensionem, non ut instrumentum divinæ efficientiæ.

Confirmatur secundo, quia nullum instrumentum elevatur physice ad efficiendum, nisi supponatur habere actionem aliquam propriam, qua dispositive operetur in ordine ad effectum principalis agentis, ut docet S. Thomas supra quæstione xlv, art. v, sed ille ignis nullam talem actionem habet circa dæmones: ergo non elevatur physice ad eos torquendos. Minor probatur, quia ignis corporeus non habet aliquam actionem, seu effectum in ipso spiritu disponentem ad effectum principalis agentis cum propria virtute, et antecederet ad elevationem divinam nihil possit agere in spiritu. Quod autem habet circa alia subjecta corporalia, parum interest, quia id quod agit circa aliud subjectum, non disponit ad effectum principalis agentis in subjecto distincto, sed perinde se habet ac si nihil operaretur in ordine ad tale subjectum. Unde in aliis instrumentis supernaturalibus, ut in Sacramentis, prius supponitur actio propria ipsius Sacramenti, v. g. baptismi circa hominem, quam quod in ipsomet infundatur gratia. Inconveniens etiam videtur quod Deus assumat instrumentum corporeum ad supplicium spiritus, et ad præmium conferendum, v. g. ad dandum lumen gloriæ nullo utatur instrumento.

Respondetur pœnam sensus in spiritibus esse inæqualem, et diversam quatenus magis vel minus restringitur, et alligatur potentia ne operetur secundum quod vult: sicut in infirmitate corporali, tanto aliquis dolor, et cruciatus est vehementior, quanto magis ipsæ facultates naturales a propriis operationibus impediuntur. Unde aliqui spiritus ita alligantur ab illo igne,

quod tamen aliquid permittuntur agere, vel circa ipsum locum inferni, vel etiam extra illum aliquando exeundo ex dispensatione divina. Et in hac permissione, et alligatione potest esse magis et minus, secundum majus et minus impedimentum in operando. Quod si aliquis spiritus ita fortiter alligetur, quod nihil omnino permittatur agere, vel se movere, erit illa pœna vehementissima. Quare fatemur diversa esse genera tormentorum, non solum in diversis subjectis propter inæqualitatem peccatorum, sed etiam in eodem, transeundo de uno tormento ad aliud, ut in argumento ponderatum est, et tunc non continuatur eadem prorsus detentio, et alligatio, sed transitur de una ad aliam, ita quod fortius seu strictius alligatur nunc in uno tormento quam antea, vel e contra: aut etiam potest alligari modo circa talem operationem, vel locum, et postea circa aliam, in qua antea permittebatur agere, vel e contra; et sic miris et occultis modis possunt illa tormenta infligi, ut inquit Augustinus, nobis quidem in singulari occultis, sed in genere notis. Deus autem perfecte novit qui reddit unicuique secundum opera ejus.

Ad primam confirmationem respondetur, quod ignis ille utroque modo affligit, primo quidem ut instrumentum divinæ virtutis retardando seu detinendo naturales operationes Angeli. Deinde, hanc ipsam detentionem per modum objecti representando mediante specie Angeli infusa, qua cognoscitur illud tormentum; quæ species etiam invenitur in sanctis Angelis, quia cognoscunt illa tormenta, licet non ut sibi irrogata, et convenientia, sicut dæmones eo modo quo addictus supplicio cognoscit gladium quo feriendus est, et lignum unde suspendendus est per speciem visibilem, qua alii

adstantes idem vident, sed isti ut spectatores, ille ut patiens. Et sic species qua repræsentatur objectum afflictivum non ab igne imprimitur, sed a Deo infunditur tam bonis quam malis Angelis. Sed tamen ut ignis ille apprehendatur tamquam nocivus, oportet quod in re noceat, non quidem corrumpendo aliquid in spiritu, sed impediendo, et detinendo, et tunc illa detentio apprehenditur ut objectum nocivum, sicut prius est hominem aduri aut verberari, quam apprehendere talem actionem ut nocivam. Et sic dicitur a D. Thoma quæst. LXX additionum, art. III ad I, quod : « Ignis corporeus est affligens remotum, sed ignis apprehensus est affligens proximum. »

Ad secundam confirmationem respondetur ex his quæ diximus supra disputatione XVIII, agendo de instrumento creationis, et in physica quæst. XXVI, art. II, quod non repugnat assumi a Deo pro instrumento aliquid distans ab alio, nec in illo habens effectum propriæ virtutis, sicut admittit D. Thomas 2-2, quæst. CLXXVIII, art. II ad I, quod potest Deus assumere actum immanentem pro instrumento ad producendum aliquid extra, ubi constat actum immanentem non habere operationem propriam. Et quando dicit D. Thomas quod instrumentum debet dispositive operari ad effectum principalis agentis, non est idem quod operari dispositionem aliquam ad talem effectum, ut dispositio subjectetur in eodem subjecto in quo effectus principalis agen-

tis : hoc enim in instrumentis divinis nec requiritur, nec semper invenitur : sed sufficit quod instrumentum aliquo modo operetur circa quodcumque subjectum ut possit illa actio elevari a Deo ad producendum effectum sive in eodem, sive in alio subjecto : hoc enim est dispositive se habere ut a Deo elevetur, id est, dispositive obedientialiter respectu divinæ potentiæ, licet non sit dispositive connaturaliter in ordine ad effectum faciendum. Ignis autem corporeus aliquam actionem habet propriam circa alia corpora, in quibus operari potest calorem vel lucem, et similiter de se potest uniri spiritui, ut mobile ab ipso, ex hoc autem ulterius elevatur ut instrumentum divinæ virtutis ad detinendum, et alligandum spiritum, ejus operationes impediendo.

Ad id vero quod dicitur Deum non uti instrumento ad dandum præmium, sicut ad irrogandum supplicium, respondetur esse disparem rationem, quia in supplicio subjicitur spiritus ignobiliori creaturæ, quia ipse noluit se subjicere Deo ; et ideo conveniens fuit uti re corporea tamquam instrumento ad alligandum, et subjiciendum illum. At vero in præmio beatitudinis elevatur spiritus super omnem creaturam : *Super omnia bona sua constituet eum*, dicitur Matth. XXIV, unde conveniens fuit non a creatura, sed immediate a Deo sic exaltari, et glorificari. Et tamen homines etiam mediante humanitate Christi ut instrumento, et justificantur, et glorificantur.

QUÆSTIO CVI ET CVII.

DE ILLUMINATIONE ET LOCUTIONE ANGELORUM.

SUMMA LITTERÆ.

Quæ fuerit ratio, ut D. Thomas hoc loco de locutione, et illuminatione Angelorum agat post quadraginta, et amplius quæstiones in tractatu de Angelis exactas, diximus præcedenti tomo, in explicationem ordinis, et connexionis partium D. Thomæ. Nempe, quia illuminatio, et locutio, hierarchiarum ordinatio, custodia, et impugnatio Angelorum, et dæmonum ad gubernationem pertinent creaturæ, sive spiritualis, sive corporalis, quam Deus per Angelos administret. Et cum tractatus de gubernatione divina inciperet a quæstione CIII post tractatum processionis, seu emanationis creaturarum a Deo, ideo in quæstione CVI et sequentibus, proprius locus fuit agendi de illuminatione, et locutione Angelorum, cæterisque actionibus ad gubernationem eorum spectantibus. Nos istas duas quæstiones tantum, quæ de illuminatione, et locutione tractant, libabimus, quia difficiliorem continent disputationem.

Agit ergo sanctus doctor de illuminatione Angelorum in quæstione CVI per quatuor articulos, in quibus ostendit unum Angelum illuminare intellectum alterius, manifestando ei occultam veritatem, quam non attingit adaptando eam captui alterius, quod est plane ipsum docere. Movet etiam voluntatem alterius proponendo ei objectum quod diligat, et per modum persuadentis, non ipsam voluntatem intus immutando. Docet tertio Angelum inferiorem nunquam illuminare superiorem, quia ex natura sua habet lumen imperfectius, ex virtute autem divina non apparet ratio prætermittendi ordinem a Deo sancitum in spiritualibus, ut inferiora per superiora regantur, non e contra. Docet quarto superiores Angelos illuminare inferiores, quia sunt in plenissima participatione divinæ bonitatis, cujus proprium est diffundi, et communicari.

De locutione autem Angelorum agit sequenti quæstione CVII ostendens unum Angelum loqui alteri, manifestando ei suum conceptum, per hoc quod voluntate sua ordinet conceptum ad eum, cui vult esse manifestum. Ex quo principio colligit quatuor per quatuor sequentes articulos. Primum est, quod Angelus inferior potest loqui superiori, etiamsi non illuminet, quia locutio non semper fit ad illuminandum, sed etiam ad manifestandum quod quis desiderat in corde, quod alteri ignotum est. Secundo, quod etiam Deo potest Angelus loqui, non quidem manifestando ei aliquod secretum quod non sciat, sed ordinando, seu erigendo se ad ipsum, ut ab eo accipiat. Tertio, non impediri locutionem Angeli locali distantia, quia fit operatione intellectuali, et ordinatione voluntatis ad alterum, quod a distantia loci non dependet. Quarto, locutionem unius non cognosci ab omnibus, quia potest ordinare conceptum suum ad unum, et non ad alios; et sic respectu illorum manebit occultus.